



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

I. Vt verba diuini officii distincte proferantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

nasterium contra prohibitionem Gaufridi filii Petri comitis de Essexe, tunc temporis summi iustitiaris Angliæ. In quo Concilio idem archiepiscopus subscripta promulgauit decreta, statuens ea a suis subiectis inuolabiliter obseruari.

ANNO
CHRISTI
1100.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|---|--|
| I. <i>Vt verba diuini officii, distincte proferantur.</i> | VIII. <i>Nihil exigendum pro sacramentis administrandis.</i> |
| II. <i>Quod non liceat presbytero bis in die celebrare.</i> | IX. <i>Ne decima minuat occasione mercedis seruientium vel messorum.</i> |
| III. <i>De baptisinate vel confirmatione, si dubitetur.</i> | X. <i>Ne clerici in sacris ordinibus constitui focarias habeant.</i> |
| IV. <i>De penitentia.</i> | XI. <i>Quales persone debeant contrahere matrimonium.</i> |
| V. <i>Quo modo archiepiscopus, episcopus, & eorum officiales debeant hospitari cum subiectis.</i> | XII. <i>Diffamatis publica fama indicatur purgatio.</i> |
| VI. <i>Ne quis ordinetur sine certo titulo.</i> | XIII. <i>Vt leprosi cæmeterium & propriam habeant capellam.</i> |
| VII. <i>Quod non liceat excommunicationis sententiam proferre, nisi canonica commonitio præcedat.</i> | XIV. <i>Ne aliquis sine episcopali auctoritate ecclesiastica beneficia de manu laica recipiat.</i> |

CAPITVLA.

I.

CVM in diuinis officiis non sine periculo corporum & animarum erretur, salubri prouisione consilii prospeximus, vt a quolibet sacerdote celebrante verba Canonis rotunde dicantur, & distincte, nec ex festinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta. Non est enim ibi diu immorandum propter insurgentes cogitationes*, quæ, vt muscæ morientes, perdunt suauitatem vnguenti. Similiter & omnes horæ & omnia officia aperte & distincte dicantur, ita quod ex festinatione nimia non præcidantur, vel syncopentur. Quod si obseruatum non fuerit, sacerdotes hoc non obseruantes post trinam admonitionem

* quia
muscæ

vsque ad condignam satisfactionem suspendantur.
Saluo in omnibus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ
honore & priuilegio.

II.

Non liceat presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente; & tunc idem cum in die bis celebrat, post primam celebrationem & sanguinis sumptionem nil infundatur calici. Sane post primam celebrationem diligentissime absorbeantur stillulæ de calice, & digiti sugantur, vel lingua lambantur, & lauentur, reseruata lotura in vase mundo ad id specialiter deputato; quæ lotura sumatur post secundam celebrationem. Hæc ita se habeant, nisi in prima celebratione adsit diaconus, vel alius minister honestus, qui loturam sumere possit. His adiicimus, vt reponatur eucharistia in pyxide munda & honesta, & in pixide munda & honesta deferatur ad ægrum linteo mundo superposito, & lucerna præcedente ac cruce, nisi æger valde remotus fuerit. Renouetur quoque hostia ipsa singulis dominicis diebus, habeaturque certitudo circa ipsam eucharistiam, ita quod non sumat non consecratam pro consecrata. His adiiciendum decreuimus, vt secreto non detur communicatio eucharistiæ impetenti, sed publice & instanter petenti danda est, nisi publicum sit eius delictum. Saluo in omnibus, &c.

III.

De baptisate vel confirmatione si dubitetur, sacrorum Canonum statuta sequentes, statuimus vt conferatur, quia non dicitur iteratum quod